DE

DIARRHOEA

IN

FEBRIBVS ACVTIS

INDVLTV

GRATIOSI ORDINIS MEDICI

PRAESIDE

D. CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG

PHYSIOLOGIAE P. P. O. COLLEGII B. M. V. COLLEGA ET SOC. REG. BORVSS. SCIENT. SODAL.

PRO GRADV DOCTORIS

DISPVTABIT

PHILIPPVS LVDOVICVS HAENLEIN

ONOLSBACENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIAE A. O. R. MDCCLIV. D. XXVI. APRIL.

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

§. I.

Fluxus aluin definitio.

In eam inteſtinorum partem, quae craſſa dicuntur, variae alimentorum digeſtorum et per chylificationem optima et nutriente parte orbatorum reliquiae deducuntur; his quidem ex humoribus digerentibus, in primis viis affluentibus, variae partes accedunt, quae faeces ſolubiles minusque tenaces reddunt, ſtimulo addito motum periſtalticum excitant et cuncta ad anum vſque deducunt. Licet enim liquor ſalivalis, et alii, qui cum eo in multis conueniunt, gaſtricus, pancreaticus et inteſtinalis, nec non bilis, optimas et ſaponaceas partes contineant, et tanquam menſtruum conſiderari mereantur, quod nutrientes potiſſimum partes, ex reliquis ſolutas, ſibi vnit et ita chylum, ad vaſa lactea deferendum, ſiſtit, attamen et animalis et vegetabilis victus viſcidae indolis eſt nec commode per alimentorum canalem promoueri poſſet, niſi excrementitiae et tenaces eiusdem partes his adminiculis propellerentur, et ita quoque excrementitiae humorum digerentium partes excernerentur. Haec cuncta, excretionis aluinae nomine, conſue-

tis temporis interuallis in ſanis hominibus per anum expelluntur, ſi vero frequentior et fluidior excretio haec aluina inueniatur, vt morbus vel ſymptoma morboſum conſideratur et Diarrhoea appellatur. Haec pro differentia materiae, quae cum ſcybalis eiicitur, et copioſius affluit, vel ſeroſa, vel bilioſa nuncupatur, prout vel ſerum largius ad inteſtina allicitur et canalem alimentorum quaſi eluit, vel bilis affluens, acris reddita, ſtimulo ſuo hanc euacuationem auget, mucum et pituitam inteſtinalem abſtergit, et ita contenta in canali alimentorum vehementius propellit. Grauius malum eſt, vbi ſub intenſis doloribus pituita abſtergitur, ſanguis et floridus et interdum corruptus, carunculae et partes tunicae villoſae, nec non ichoroſa et purulenta materia per anum eiicitur, quo in caſu Dyſenteria appellatur. Nos quidem et has et alias fluxus aluini ſpecies, fluxum hepaticum, coeliacam paſſionem, lienteriam et choleram quoad differentias ſuas non tangimus, nec vlterius declaramus, ſed ideo tantum pauca haec adduximus, quo ſymptoma noſtrum morboſum eo accuratius definire, et, vt a dyſenteria, ſic ab aliis quoque grauioribus aluini fluxus ſpeciebus, diſtinguere queamus. Licet enim excretio ſeroſae et bilioſae materiae, cum faecibus aluinis eueniens non ſemper ſine incommodo ſuccedat, ſed ſaepius doloribus colicis, teneſmo et borborygmis ſtipata ſit, vix tamen diarrhoeae vocabulo vtuntur medici, niſi in fluxu aluino frequentiori et fluidiori, vel nullis vel leuioribus quibusdam ſymptomatibus ſtipato, qualem vocabuli ſignificatum et nos aſſumimus.

§. II.

Febris acuta declaratur.

Cum igitur diarrhoeam, in febris acutae decurſu obuenientem, conſiderandam nobis ſumimus, hanc quoque vt definiamus, neceſſe eſt. Celerior et fortior ſanguinis circulatio, a varia cauſa in corpore oriunda, febris dicitur, et tunc

tunc potiſſimum, quando haec corporis conditio paululum perſiſtit, et dolores capitis, ſitim, anxietates praecordiorum et alia ſymptomata eidem accedunt. Eum enim ſtatum corporis, in quo per animi et corporis agitationes, vel per potum ſpirituoſum, aucta circulatio inducitur, febrim vix dicimus, licet motus adſint febrilibus quam ſimillimi. In tanta autem febrium copia et differentia, a nobis non fuſius declaranda, illae certe, quarum exacerbationes ſeu paroxyſmi, vel intra paucos dies vel intra viginti et vnum diem finiuntur, ad diſtinctionem febrium chronicarum, intermittentium ſcilicet et lentarum, acutae dicuntur, ex quibus, cum continentes apud nos rariores ſint, continuas tantum hic intellectas cupimus. Licet vero febris non niſi ſymptoma appellari poſſit, cum a diſpoſitione morboſa, in corpore exiſtente, in primis a deprauata ſanguinis et humorum mixtione et dyſcraſia, nec non a ſolidorum, inde pendente, ſpaſmo oriatur, tamen cum morbum ipſum, hoc eſt ſolidorum et fluidorum indolem deprauatam non ſatis definire valeamus, febris, quae ſymptoma primarium eſſe videtur, vt morbus conſideratur, cui alia varia ſymptomata, ideoque etiam interdum diarrhoea, accedunt. Non tantum vero febres catharrhales benignas et malignas, quae frequentiores ſunt, ſed et exanthematicas, ſcilicet omnes intelligimus continuas, quae auctum ſanguinis, et progreſſiuum, et inteſtinum, motum ſemper ferme oſtendunt, et ſuas quoque per definita interualla patiuntur exacerbationes ſiue paroxyſmos. In harum febrium decurſu vires vitae motus excitant; materia enim cruda ſiue particulae peruerſe mixtae, in ſanguine et humoribus haerentes, viribus cordis et arteriarum mouentibus reſiſtunt, quo facto hae ipſae celerius circumductae et agitatae in ſua mixtione reſoluuntur et mutantur, hoc eſt, coquuntur. Sub his itaque et validis ſaepius motibus ſalutaris

 morbi

morbi euentus expectandus eſt; vel enim particulae morboſae blanda reſolutione ſiue lyſi, euacuatione vix percepta, lente diſſipantur, vel critica quadam et euidenti euacuatione per varia corporis colatoria expelluntur. In coctione vero particularum malignarum, minus rite ſuccedente, fluida et ſolida corporis nimium reſoluuntur et deſtruuntur et ita mors inducitur. Diximus hoc in caſu febrim, vt morbum, conſiderari; dantur enim diarrhoeae magis vero dyſenteriae ſpecies, quae, dum corpus vehementer exagitant, febrim vere ſymptomaticam producunt, quae tamen in diarrhoea, vtpote fluxu ventris leuiore, vix attendenda et ita a nobis hic loci non fuſius declaranda eſt; id potius adhuc annotari meretur, in febrium continuarum decurſu, ſuperius declarato, vires naturae non nunquam deficere, et ita febrim, vt circulationem auctam, non ſemper continuari, quae tamen febris remiſſio non impedit, quo minus morbus tanquam continuatus, conſiderari poſſit: interdum enim benignam morbi materiam, lyſi forte et naturalibus quaſi motibus diſſipandam, interdum vero ſtatum malignum et vires morbi cum decremento virium vitae, victrices declarat.

§. III.

Inſtituti ratio. Hanc et fluxus aluini et febris continuae acutae ideam ideo praemiſimus, quo thematis noſtri ratio pateat, quod nimirum diarrhoeam, in febris acutae decurſu accedentem, explicat et diiudicat. In febrium quidem acutarum progreſſu obſtructio aluina haud raro obſeruatur, ex qua varia ſymptomata e. g. anxietas praecordiorum, tumor hypochondriorum aliaque incommoda, quae aegrum inquietum reddunt et morbum ſaepius augent, originem ducunt, quo in caſu tamen multi medicorum aluum medicamento, et leuiori quidem, mouere verentur; diarrhoeam enim, qua motus, ad peri-

pheriam

pheriam corporis tendentes, infringi asserunt, extimescunt: alio autem tempore in iisdem febribus orta diarrhoea anxium reddit medicum, qui illam, quod et vires vitae infringit, et coctionem et crisin turbat, omni modo compescendam esse iudicat. Quoniam vero praestantissimorum practicorum obseruationes et crebra nos ipsos docuit experientia, hac in re ab vna alteraque parte graues saepius in medendo errores committi, cum praesens inaugurale specimen proponendum esset, nos non inutilem suscepturos esse laborem duximus, si diarrhoeam febribus acutis superuenientem ex fundamentis pathologico therapeuticis diiudicaremus et hac ratione commilitonibus nostris normam aliquam, quo modo in dubia hac re versari debeant, exhiberemus. Eo magis vero haec ipsa tractatio disquisitu necessaria inueniebatur, quo magis compertum habeamus, in lautiori diaeta et vario victus genere, quo opulentiorum vrbium potissimum incolae vtuntur, copiosam saburram, ab ingestis relictam, saepius in intestinis et relaxatis iisdem colligi, quae haud raro febres excitat, saepius vero in febribus, ex alia causa oriundis, vel haeret et anxietates producit motusque febriles auget, vel vomitu et fluxu alui mouetur aegrotosque languidos reddit. Cum vero de diarrhoeis agimus, vix opus erit, obstructionem aluinam, tanquam oppositum statum sigillatim considerare, quoniam et huius symptomatis ratio ex tractatione nostra iam patet, passim tangitur, et ex iisdem ferme fundamentis diiudicatur. Haec vero nostra tractatio vix aptius absolui poterit, quam si causas et symptomata, quae diarrhoeam producunt, eamque comitantur, breuissimis praemittamus, differentias diarrhoeae, in febribus acutis oriundae, paululum explicemus et tandem regulas therapiae generalis ad diuersas has diarrhoeae species applicemus, quo inde pateat, quando et quo modo illa vel promoueri vel moderari vel supprimi debeat.

His

His in genere propoſitis non incongruum erit, non nullis febrium exemplis, in fine additis, aſſerta noſtra vlterius declarare et paulo accuratius definire.

§. IV.

Diarrhoeae cauſae.

Innumerae ferme, ſi varietatem victus et potus, et alia, quae circa ordinem et tempus eadem aſſumendi committuntur, errores, conſideras, cauſae, diarrhoeam excitantes, occurrunt. Medici enim, qui in cauſas morborum attentius inquirunt, qui victus animalis et vegetabilis differentiam, potus aquoſi frigidi et calidi, nec non fermentati, varietatem, ipſasque alimentorum et potulentorum praeparationes et effectus, in corpore inde oriundos, ſtudioſius examinant, et hos in progreſſu variorum morborum in infantibus aeque ac adultis obſeruant, de aſſerto noſtro omnino certiores redduntur. Colligitur nimirum a nimia et deprauata alimentorum mole ſaburra, ventriculo et inteſtinis moleſta, pituitoſa, acida, rancida, biliosa etc. quae ſaepius diu et per annos abſcondita latet, tandemque vel ſua mole vel acrimonia et ſtimulo, inde oriundo mota, moleſtas ſaepius diarrhoeas excitat. Nimis prolixum foret, ſi cauſas has occaſionales amplius pertractare et ſigillatim examinare vellemus, licet propius ad inſtitutum noſtrum ſpectare videantur; ſufficiet itaque, ſi in examine cauſarum praediſponentium ſubſiſtamus et laxitatem inteſtinorum cum ſaburra pituitoſa et ſiccitatem eorumdem, cum ſcybalis duris et immobilibus coniunctam, examinamus, quibus praeſentibus quaelibet acrimonia, vel in tubo inteſtinali haerens, et caſu quodam mota, vel nunc accedens alimentoſa vel medicamentoſa, tanquam proxima diarrhoeae in febribus acutis exortae, conſiderari poterit.

§. V.

§. V.

Laxitas intestinorum.

In laxitate inteſtinorum, noſtro nunc tempore adeo frequenti, ad potum aquoſum calidum, qui magna copia ingurgitatur, praecipue reſpiciendum eſt: eodem enim non tantum fibrae relaxantur, ſed humores quoque digerentes nimium diluuntur, et ad digeſtionem, vt decet, perficiendam inepti redduntur. Neque putandum eſt, viſcida et ſicca ſcybala, ex victu reliquo nata et relicta, aqua lubricari et ita canalem inteſtinorum elui, cum aquoſae partes celeri reſorptione per vaſa chylifera ad ſanguinem et inde ad renes, tanquam colatorium earundem proprium, deferantur. Quando autem reliqua victus ratio ita comparata eſt, vt viſcida et glutinoſa ex animali et vegetabili regno ſimul aſſumantur, tunc pituita generatur, quae inteſtinis adhaeret et ita earundem laxitatem magis magisque auget. Vti igitur aluus, ſemper libera exiſtens, bonum ſanitatis ſignum iudicatur, ſic nimium et frequenter oriundum ſpontaneum alui profluuium inertiam inteſtinorum indicat, qua et illa, quae in inteſtinis continuatur, digeſtio et apta chyli reſorptio impediuntur. Hae igitur praecipue cauſae ſunt, cur cruditates in primis viis ſemper colligantur; quae leui accedente ſtimulo euacuationem aluinam vrgent. Non tantum vero haec inteſtinorum diſpoſitio diarrhoeas, ſed veras ſaepius lienterias producit et alimenta ſemidigeſta, nutritiis adhuc particulis ſcatentia euacuat, ex quo fit, vt vires eneruentur, dum materia, nutritioni apta, ſubducitur et reliquae actiones ſanguificationis, ſecretionis et nutritionis vltimae laeduntur. Virium itaque imbecillitas, a qua profluuium alui copioſum dependet, eo ipſo magis inducitur, et vt illa omni tempore moleſta, immo noxia eſt, ſic potiſſimum in febribus acutis, per quas vires quoque deiiciuntur, maxima incommoda parit, et diarrhoeis in illis oriundis, largam occaſionem ſuppeditat.

§. VI.

Siccitas inteſtinorum.

Altera diſpoſitio morboſa, praecedenti ex parte contraria, eſt ſiccitas inteſtinorum, quae quidem, dum ſcybala dura et exſucca reddit, magis ad obſtructiones aluinas diſponit, quibus ſaepe homines in ſano de reliquo ſtatu male afficiuntur, variisque vitae incommodis vexantur, in morbis vero, in primis in febribus acutis, maxime anguntur. Naturalis lentor motus periſtaltici in craſſis inteſtinis huic remorae prae reliquis fauet; Cum enim digeſta alimenta lentius exſugenda eſſent, quo omnis materia, nutritioni apta, inde educeretur, et a vaſis bibulis reſorberetur, viae longitudo et lentior motus omnino requiri videbantur, quibus tamen remora excrementorum nonnunquam inducitur. Porro et coeci inteſtini ſitus et zonae coli tractus ſatis declarant, ſcybala exſiccata non niſi viribus auctis vlterius vrgeri poſſe, quae vires ab abdominalibus muſculis et diaphragmate potiſſimum expectandae, ſaepius, et praecipue in vita ſedentaria, deficiunt. Tandem et coli fabrica attendenda eſt, in hoc enim inteſtino cauernae in interſtitiis ligamentorum canalem firmantium effictae, ipſis faecibus remoram concedunt, per quam exſiccantur, ita, vt non raro liquida excrementa per canalem hunc tranſire poſſint, craſſioribus aliis a latere relictis. Haec quoque incommoda eo magis extimeſcenda ſunt, cum lente et clanculum quaſi generentur, et plurimi hominum ſpurcam adeo excretionem, qualis aluina eſt, non attendant, ita, vt eius rationem medico ſciſcitanti vix exponere poſſint, ſi in morborum cauſas inquirens, eo deuenerit. Cum vero ea ratione moles ſcybalorum augeatur, ſtimulo et pondere ſaepius moleſta ſit, humores etiam ad canalem alimentorum alliciat, et in corpore aegroto, vtpote ſenſibili, leuioribus ſaepius ſalinis medicamentis moueatur, in aliis quidem tenſiones abdominis, tumores hypochondriorum

rum aliaque incommoda tantum producit, in aliis vero ſaburram copioſam ſubito mouet et diarrhoeam moleſtam concitat.

§. VII.

Diarrhoeae ſymptomata.

Quando vero ex his, breuiter nunc indicatis, vel aliis forte concurrentibus, cauſis diarrhoea mota fuit, tunc varia oriuntur accidentia, ex quibus, cum omnia recenſere haud poſſimus, primaria, et ea, quae in noſtra tractatione potiſſimum attendenda ſunt, in genere indicari merentur. Licet vero alia a morbo febrili pendeant et per diarrhoeam tantum intendantur, alia vero a ſola diarrhoea induci videantur, poſteriores tamen prioribus in multis ſimiles erunt, nec ideo peculiarem merentur conſiderationem. Proſtratio virium, a morbo omni, diutius durante, tandem inducta, in acutis ſaepius a maligna morbi indole in principio iam ingruit; medicus itaque virium indolem ſemper perpendat, et in diarrhoea ſuperueniente iudicet; an haec vires breui deiiciat? an actiones variae, ſub deiectionibus celebrandae v. c. reſpiratio, moleſtae ſint? an optimi humores per deiectiones has expellantur? contrarium enim non raro euenit, quando nimirum humores morboſi copioſius ſecedunt, et loco proſtrationis virium, refectio earundem et leuamen attenditur. Porro quoque interdum ſpaſmi et dolores colici, borborygmi, flatus et ructus cum diarrhoea accedunt, et praeter ea etiam in inteſtino recto teneſmus obſeruatur, quibus quidem materiae, in primis viis motae et nunc excretae, acrimonia indicatur, interdum vero ſine omni incommodo et ita, vt aeger vix ſtimulum ſentiat, deiectiones abſoluuntur; quod vero tunc temporis tantum vt bonum ſymptoma aſſumi poterit, quando mens aegri ſibi conſtat, cum excretiones, ab aegro haud perceptae, inter peſſima malignitatis ſigna referantur.

rantur. Tandem etiam ad materiae excretae indolem reſpiciendum eſt, qua quidem ſeroſa vel bilioſa colluuies tantum, ſaepius vero inſignis ſcybalorum moles, ſaepius materia foetida, corrupta, in faeces non formata, ſed liquida et arrodens ex corpore eiicitur. Sub his etiam diarrhoeae acceſſionibus febris eiusque ſymptomata plus minusque intenduntur, vel imminuuntur, et licet de dolore capitis nihil ſit, quod hic in ſpecie moneamus, tamen et languorem, de quo antea diximus, et in primis ad ſitim attendimus. Abſentia ſitis bonum ſignum eſt, ſitis vero ingens, clamoſa, cum ſiccitate oris, peſſimum ſtatum in diarrhoea accedente declarat.

§. VIII.

Differentia diarrhoeae.

Breue hoc cauſarum et ſymptomatum examen medicum, diarrhoeam in febribus acutis diiudicantem, iam ſatis inſtruere poſſe arbitramur; quoniam vero quilibet perſpicit, de omni, in febribus acutis oborta, diarrhoea ſimile iudicium non valere, ad veram diagnoſin formandam omnino neceſſarium erit, et differentiam diarrhoeae proponere, et illam ſignis ſuis declarare, antequam et prognoſin et conſilia therapeutica addamus. Minime vero omnibus illis differentiis inhaerere poſſumus, quae vnquam ab auctoribus excogitatae ſunt, *) ſed praecipuas illas, quae indoli febrili potiſſimum conueniunt, tantum rimabimur. Euacuationes, in febribus acutis oboriundas, in ſymptomaticas et criticas diuidunt, illas compeſcendas, has vero permittendas eſſe, ſcriptores practici generatim aſſerunt, et in ſudore, ptyaliſmo, vomitu et diarrhoea hanc normam non ſine fundamento ſequuntur. Nobis vero magis commodum viſum fuit, triplicem diſtinctionem, ſcilicet ſpontaneam, criticam et

*) Nomina vide in IOH. NICOLAI WEISSII Diſſ. de noxis a diarrhoea intempeſtiue ſuppreſſa oriundis. Altorfii. 1742. 4. §. 4. p. 5.

et ſymptomaticam, in diarrhoea febrium acutarum conſideranda, aſſumere, quippe quae, ſi etiam ad omnes modo dictas, vel alias euacuationes, in morbis oriundas, applicari poſſet, in vomitu tamen et praecipue in diarrhoea, de qua nunc agimus, omnino attendi meretur. Si enim febre acuta in corpore ſaeuiente, ſaburra quaelibet, in primis viis hactenus collecta, vel propter abundantiam ſuam, vel propter ſtimulum, ex propria acrimonia natum, ſubito mouetur et per anum copioſius reiicitur, ſine eo, quod materia in febre mota concurrat, diarrhoea ſpontanea dici poteſt, quam ideo ſummo iure a ſequentibus binis ſpeciebus diſtinguimus. Si ea materia morbi, qua febris accenſa fuit, in cruditate conſtituta, vel leuiter tantum mota et nondum plenarie cocta, vel ob peruerſam indolem coctioni prorſus reſiſtens, in inteſtina ruit, ea vellicat et crebriores deiectiones efficit, tunc diarrhoea ſymptomatica appellatur. Si tandem materia morbi, per quam febris acuta excitata fuit, poſt cruditatem, viribus vitae agitatam, circumductam et coctam, motu ſuo in inteſtina vehitur ibidemque euacuatur, tunc critica appellatur diarrhoea. Licet vero nunc exhibitae deſcriptiones ita comparatae ſint, vt quilibet medicus, in obſeruatione morborum exercitatus, eas facile diiudicare poſſit, exigit tamen argumenti, quod nunc declaramus, ratio, vt differentias has accuratius examinemus et per ſua ſigna, in vario febrium acutarum progreſſu obſeruata, declaremus.

§. IX.

Diarrhoea 1. Spontanea.

Omnes homines ſani ſemina morborum, per varias cauſas occaſionales, colligunt et ſpargunt, easque per praediſponentes augent, et ad vlterius incrementum diſponunt, ita, vt leuiſſimi interdum diaetae errores ea euoluant et grauiſſimos morbos ſaepius ex improuiſo inducant. Haec morborum ſemina

 mina

mina vel in primis vel in ſecundis viis latent, vel ita inter ſe cohaerent, vt viſcidum primarum viarum et acrimoniae ibidem collectae, ſenſim ad ſecundas vias transferantur. In febribus intermittentibus ſaburra humorum viſcida et lenteſcens, in primis viis collecta, ad ſecundas translata, paroxyſmos febriles excitat, qui vel ex diſpoſitione et temperamento aegrorum vel ex indole acrimoniae acceſſoriae multis modis differunt, et attentionem medici in diiudicando et medendo exigunt. Saepius vero miaſmata maligna ſiue mixtiones morboſae, ſanguinis et reliquorum humorum naturalem craſin immutantes, febriles motus excitant, quibus, ſi morbus feliciter progreditur, coctio et criſis optimaque morbi ſolutio praeſtatur: id, quod in febribus continuis, acutis, ſi vires vitae accurata medendi methodo ſuſtinentur, obſeruamus. In his primae ſaepius viae, a ſaburra humorum ſatis liberae, vel prorſus non, vel naturali et conſueta ratione mouentur, interdum tamen eo ipſo tempore, quo miaſma malignum in ſecundis viis circumducitur et coquitur, ſaburra in primis viis quoque agitatur, et ad crebriorem excretionem diſponitur. Spontaneam hanc dicimus diarrhoeam, quia ſponte et ex ſua indole, nec a miaſmate febrili eiusque acrimonia, nec a febrilibus motibus excitatur, ſed eo ipſo tempore, vbi febris mota fuit, praeſens obſeruatur. Licet vero haec diarrhoeae ſpecies, cum vt ſymptoma in morbis accedat, ſymptomatica quoque dici poſſet, ideo tamen diſtinguendam eſſe duximus, quoniam ſaepius nec morbi, nec cauſae, nec ſymptomatis alius cum morbo coniuncti, ſymptoma, ſed verum epigenomenon dici meretur, et tunc quoque adeſſe poſſet, ſi febris acuta ex aliis cauſis non accenſa fuiſſet, ideoque, vt inferius patebit, cum vera diarrhoea ſymptomatica confundi non debet. Maxima vero attentione dignam eſſe hanc diarrhoeam ſpontaneam iudico, cum varietas alimentorum et potulen-

torum

torum et ſolennes vbique errores diaetae, ex quibus etiam debilitas primarum viarum et imperfecta digeſtio oritur, eandem inter noſtros et ſine febre frequentem reddunt. Hinc etiam non raro ex his diarrhoeis, tanquam morbis conſideratis, febres ſymptomaticae oriuntur, quo in caſu medicus omnino fallitur, ſi febrim, vt morbum, et diarrhoeam, vt ſymptoma, conſiderat. Licet vero haec diarrhoea primis ſaepius diebus febris acutae moueatur, quoniam liquores digerentes ex defectu alimentorum in ſaburram collectam agunt, licet etiam nonnunquam poſt aliquot deiectiones ſponte iterum ceſſet, et ſi progreſſum febris vix mutat, vel aliquale leuamen adfert, facile dignoſcitur, attamen dum etiam in reliquo morbi progreſſu accidere et materia latens moueri poſſit, difficile ſatis a ſymptomatica et critica diarrhoea dignoſcitur. Medicus autem, ad omnes morbi circumſtantias attentus, non facile fallitur; ſi enim tunc temporis facilem morbi progreſſum, nec ſymptomatum malignorum augmentum obſeruat, diarrhoeam hanc ſpontaneam a ſymptomatica, quae morbum certe exaſperat, facile diſtinguit. Nec adeo difficile eſt eandem a critica diſtinguere; haec enim non niſi tempore critico et poſt plenariam coctionem accedit. Quod ſi vero cum critica etiam concurrat ſpontanea, res ex voto cedit, et vires non nihil depreſſae, mox iterum, morbo ſuperato, refocillantur.

§. X.

2. ſymptomatica.

Praecedentis diarrhoeae cauſa in primis viis tantum haerebat, ſymptomatica vero ex ſecundis praecipue viis originem ducit, et in continuato ſuo impetu, ſaburram, in primis viis collectam, ſimul mouet. Materiam morboſam male mixtam, vel in craſi ſua deprauatam, in ſanguine et humoribus haerentem et per febrim motam, crudam dicimus. Haec

ſemper

ſemper laedit, haec ſpaſmorum in minimis ſanguiferis vaſis excitatorum cauſa eſt, quibus tandem aequabili ſanguinis motui, per cor et arterias praeſtando, ita reſiſtitur, vt ille laceſſitus, humores vehementius circumducat, quo facto non progresſiuus tantum, ſed et inteſtinus motus exacerbantur. Haec itaque materia, vel cruda, vel ſemicocta, vel iam in peſſimam et deſtructoriam indolem mutata, ad varia colatoria corporis ruit, ibidemque non ſine moleſtia excernitur. Vti vero illa in alia, v. c. ſudoris et vrinae colatoria ſaepius conuertitur, ſic ad inteſtina quoque deriuatur, et ſymptomaticam, in ſenſu ſtrictiori dictam, diarrhoeam efficit. Sed et alia materiae huius motae affectio, qua per acquiſitam acrimoniam ſtimulum et ſpaſmos in inteſtinis excitat, diarrhoeas has auget et peiores reddit, immo tandem viſcerum corrupta materia bilioſa, ichoroſa per febrim mota et ad primas vias translata, deiectiones aluinas intendit et pernicioſiſſimas reddit. Quemadmodum vero ex cauſis nunc indicatis, omni ferme morbi tempore diarrhoeam ſymptomaticam moueri poſſe perſpicimus, ſic eandem ex ſequentibus ſignis potiſſimum cognoſcimus et a reliquis ſpeciebus diſtinguimus. Vt plurimum ſubito mouetur, et dum fluit, non tantum ſymptomata alia in primis viis, colicos dolores, tenſionem hypochondriorum, borborygmos et teneſmum, ſed et in vniuerſo corpore anxietates, debilitates, et innumeram ſymptomatum cateruam excitat, quam longius recenſere ſuperfluum ducimus, cum ex ſymptomatibus malignitatis conſuetis *) facile erui poſſit, quapropter vnum vel alterum, exempli loco, adduxiſſe ſufficiat. Sitis, quae ſpontaneis diarrhoeis familiaris quaſi eſſe ſolet, hic immanis eſt et clamoſa, lingua arida, ſicca, fiſſa vel muco tenaci obſeſſa deprehenditur, accedunt deliria et in grauiori malo

*) Vid. HERM. BOERHAAVE in inſtitutionibus medicis. Lugd. Bat. 1734. 8vo. §. 919. p. 439.

malo faeces haud perceptae ſecedunt. Febris augmentum, quod interdum obſeruatur, optimum adhuc in his ſignum eſt; licet enim vires quam maxime frangantur, tamen aliqualis coctio efficitur, ſaepius vero pulſus naturali ſimilis vel debilis eſt, et febris ferme nulla percipitur, ita, vt virium proſtratio abſoluta aegrum in praeſentaneum vitae periculum coniiciat.

§. XI.

Si coctio materiae morboſae plenarie abſoluta et miaſma ita praeparatum atque mutatum eſt, vt per varia colatoria corporis ſine earundem deſtructione aut inſigni vellicatione transmeare poſſit, tunc criſis euacuationem ipſam praeſtat. Ex numero harum criſium etiam diarrhoea eſt, quippe quae ſeroſorum humorum copiam, et ſimul miaſma morboſum, ſuo modo mutatum, ad primas vias ducit atque ita ex corpore eliminat. Haec crebrius occurrit, et cum criſes per ſaliuationem et per vomitum, quae huic analogae videntur, rarius obſeruentur, mirum certe videri poſſet, cur materia morbi potius liquori inteſtinali immixta euacuetur. Quod ſi vero amplitudinem colatorii in canali alimentorum perpendimus, et inter corporis peripheriam, quae ſudores criticos exhibet, et ſuperficiem inteſtinorum internam aliquam conuenientiam deprehendimus, multum materiae morboſae per copioſa vaſa meſaraica huc adduci et ſecerni poſſe facile largimur. Accedit et porro, quod diarrhoea ſpontanea haud raro criticae ſe iungat, dum materia morbi huc mota, nonnunquam etiam ſaburram tenacem et viſcidam in primis viis inueniat, eamque ad euacuationem diſponat et ſimul educat. Signa huius diarrhoeae praecipue a tempore petuntur; criticis enim diebus et poſt coctionem abſolutam accedit, cognoſcitur tamen etiam ex effectu, dum leuamen adfert et ſymptomata reliqua morboſa mitiora reddit. Licet interdum videri

3. critica.

C poſſet,

poſſet, ac ſi ſub initio morborum catarrhalium, a refrigerio ortorum, noſtra accedat diarrhoea critica, et ita ſigna, a tempore deſumta, incerta reddat, hoc tamen in caſu, aut facilis coctio fuit, breui et intra aliquot dies finita, vti in ſanis ſaepius hominibus analogiam inter ſerum perſpirabile cutaneum et inteſtinale obſeruamus, aut diarrhoea ſpontanea in initio morbi accedens et morbum et ſymptomata morboſa mitiora reddit, vt poſtea criſis per blandam perſpirationem et lenes ſudores eo facilius perficiatur. Dum etiam diximus diarrhoeam criticam cum leuamine accedere, aſſertum noſtrum ita limitandum eſt, vt interdum quidem materiam motam ſine omni ferme incommodo ſecedere videamus, quod ſi vero et leuia tormina, aliqualis teneſmus, aliaque ſymptomata, quae interdum accedunt et diarrhoeam ſymptomaticam produnt, obſeruarentur, haec tamen breui ita diſſipantur, vt medicum non diu dubium detineant, ſed mox felicem morbi euentum declarent.

§. XII.

Aphoriſmi de diagnoſi et prognoſi.

Ex iis itaque, quae de differentia diarrhoeae nunc in medium protulimus, quilibet medicus, ad mutationes morborum attentus, de diarrhoeae ad morbum febrilem relatione iudicium ferre et diagnoſin et prognoſin generalem formare poterit. Haud incongruum tamen erit antea, quam ad methodum medendi accedamus, generales quosdam aphoriſmos, quibus hactenus dicta comprehenduntur, et ad regulas therapeuticas diriguntur, proponere. Quaecunque diarrhoea in febribus acutis leuamen adfert, illa vel ſpontanea eſt vel critica: ſpontanea omni morbi tempore accedere poteſt, critica vero non niſi poſt coctionem peractam. Quaecunque diarrhoea ſubitaneam virium proſtrationem inducit et intra breue temporis ſpatium non tantum vehementior redditur,

tur, ſed et ſymptomata noua malignitatis inducit, illa ſymptomatica eſt. Quaecunque diarrhoea materiam foetidam et putridam eiicit, illa vel ſymptomatica eſt, vel critica; tempus et leuamen vlteriorem indicant differentiam. Quaecunque diarrhoea faeces aluinas, ſero copioſius affluente lubricas et emollitas eiicit, illa ſpontanea eſt et ita a prioribus diſtinguitur. Quaecunque diarrhoea tempore cruditatis accedit, ſaepius vt ſpontanea bona eſt, interdum vero materiam crudam impetuoſe mouendo, perturbationem coctionis et criſeos inducit, et dum miaſma ad ſenſilia et ſaburra repleta inteſtina ducit, ſymptomaticam excitare valet. Quaecunque diarrhoea, tempore coctionis orta, ſymptomata peſſima non coniuncta habet, illa ſpontanea eſt, quae vero malignitatis ſymptomata inducit, illa pro ſymptomatica habetur. Quaecunque diarrhoea tempore critico accedit, ſit critica, ſit ſpontanea, illa ſemper bona eſt. Cautelas circa diarrhoeam ſupprimendam vel relinquendam ex his elicere *) et paucis quoque aphoriſmis exponere poſſemus, niſi ſatius duceremus, fundamento diſtinctionis noſtrae inſiſtere et regulas therapeuticas ad hanc normam diſponere.

§. XIII.

Regulae therapeuticae circa diarrhoeam, 1. ſpontaneam.

Quando itaque medicus ſaburram in primis viis ſpontaneo ſuo motu excerni, nulloſque adeo morboſos motus inde excitari, cognoſcit, tunc euacuationem hanc ſibi permittat, nec felicem naturae motum infringat; cum enim febris acuta non exacerbetur, ſaepius vero leuetur, quid inde timeat, non habet. Vti vero diarrhoeam, in ſanis ſaepius ortam, medicamentis quibusdam adiuuare, vel et promouere ſolemus, ſic forte non incongruum erit et in noſtro caſu, ſale medio, in primis liquore terrae foliatae tartari, vel ni-

 tro

*) Expoſuit has Cl. WEISSIVS in Diſſert. cit. §. 26. ſeqq. p. 25.

tro depurato, dofi aegri conftitutioni proportionata, pituitam refoluere et eius excretionem adiuuare. Cum vero hoc tunc potiffimum efficiendum fit, quando excretiones vifcidae et lentefcentes obferuantur, in ferofo affluxu rhabarbari dofis, vel in puluere, vel in folutione aquofa, ad euacuationem iuuandam propinanda erit. Hac quidem in re, licet plurimos confentientes habituri erimus practicos, fi febris acuta non adeo diris fymptomatibus ftipata occurrat, in malignis vero et inprimis in exanthematicis morbis, in quibus aut vires nimis proftratae funt, aut metus exanthematum retrocedentium vrget, materiae morbofae euacuationem haud fufcipi poffe, alii affirmabunt. Licet igitur quaelibet purgantia non audacter adhibenda fint, tamen in altero quoque cafu lenia remedia et diarrhoeis vtcunque promouendis conuenientia, vt funt rhabarbarina, nullo modo reiicienda funt, cum nec forti ftimulo agant, nec alios naturae motus perturbent. Quid etiam vetat, fi acida acrimonia adeffe obferuatur, leni antacido, vel alio, acrimoniam inuoluente, terreo medicamento, vt funt corallia rubra et bolus armenus vel terra lemnia, acrimoniam ipfam, vt in dyfenteriis ipfis folenne eft, infringere, vel rancidae et alcalinae acrimoniae, cremoris tartari conueniente dofi, refiftere. Si vero ferofa colluuies nimium ad primas vias propellitur et metus forte eft, fubducto fero copiofiore, aut aegrum magis debilitari, aut inteftina magis relaxari, aut coctionem retardari, aut crifin impediri poffe, tum idem rhabarbarum cum terris aptis et paucis cafcarillae granis optime propinatur, et ita euacuatio non prorfus compefcitur, fed tantum intra limites continetur. Nec eo in cafu, vbi et fpafmi cum diarrhoea fpontanea coniuncti funt, a rhabarbarinis abftinendum eft, quoniam aut caftorei aliquot grana, aut, fi fpafmi vehementius vrgere videntur, maffa pillularum de cynogloffa vel aliud anodynum

parca,

parca, ſed pro ratione aegroti repetita doſi, exhibitum eosdem compeſcit, et diarrhoeae decurſum moderatiorem reddit.

§. XIV.

His certe omnis attentio medici circa diarrhoeam ſpontaneam dirigitur, nullique dubitamus ſaepius quoque hanc medendi viam ad ſymptomaticam et criticam extendi poſſe; ſunt tamen non nulla, quae et hic curatius examinari merentur. Triſtiſſimi ſunt effectus materiae, in diarrhoea ſymptomatica excretae, et vtplurimum haud leue oritur dubium, quo modo apte ſatis errantes quaſi naturae motus compeſci queant: ex vna enim parte, materia morbi ſibi relicta, criſin turbat, ſolida deſtruit, et vires vitae inſigniter eneruat, ex altera vero, materia morbi acris et deſtructoria, ſi reprimitur, ſemper laedit, ad quamcunque partem ruat. Quod ſi igitur vitae vires, non prorſus proſtratas, deprehendit medicus, et acrimoniam motam rancidam et bilioſam, quae frequentior eſt, quam acida, vel aliam quamlibet his analogam, ex certis ſignis cognoſcere valet, tunc ex capite de acrimoniis compeſcendis, in primis terris, ſic dictis bolaribus nobilioribus, vtatur, iisque vel pauxillum rhabarbari, vel, quod ſaepius requiritur, vnum alterumque granum opiati cuiusdam medicamenti addat. Oleoſa v. c. oleum amygdalarum dulcium, in acrimonia rancida et febre aucta facile nocent, licet de reliquo acrimoniam quamlibet blande inuoluere videantur; emulcta vero, ex ſeminibus oleoſis parata, facile aceſcunt, licet papauerina non prorſus taxanda ſint. Cur vero rhabarbari mentionem facimus, quod tamen deiectiones auget? valet hoc ob gummoſam partem, quam ſolutio eius aquoſa exhibet, quae ſtimulando vix laedit, ſed magis abſtergendo agit. Et quis non hoc potius medica-

2 ſymptomaticam.

 mento

mento vteretur, quam rhabarbaro tosto, quod a non nullis suadetur, in quo tamen pars gummosa omnis expulsa vel mutata est, et terrea pars, si vnquam, adstringendo tamen tantum agere valet. Nemo vero hoc in casu ad adstringentia accedat medicamenta, quippe quae effluxum materiae quidem compescunt, sed spasmum, a materia acri excitatum, augent, et ita non raro inflammationes efficiunt; laudem potius hoc in casu merentur castoreum et cascarilla, quibus spasmi coercentur et intestina blande roborantur. Quoniam vero in spasmis vehementioribus ad hos quidem primario, sed et ad materiam motam attendendum est, in opiatis exhibendis curatius versetur medicus, et, quamcunque etiam pharmaceuticam compositionem, cui opium inest, familiarem habeat, semper dosin, aegro proportionatam caute seligat et ponderet, ne, dum spasmos minuit et tollit, materiam morbi nimium coerceat, et vires vitae infringat, cum etiam haec medicina ad sudores disponat, his non prorsus indulgeat, licet eosdem interdum aegro salutares cognouerit. Si aestus non adeo vrget, decem vel plures guttae laudani liquidi SYDENHAMII egregie conueniunt, si vero aestus vrget, vel diascordium FRACASTORII in aqua melissae sine vino vel alia conuenienti solutum, vel massa pilularum de cynoglossa ad tria quatuorque grana cum terris medicis selectioribus propinentur. Quod si vero vna vel altera dosis medicamenti opiati non sufficere videatur, melius est, eandem repetere, quam augere, quo motibus cohibitis iterum ad cardiaca medicamenta, quae vires sustinent, regredi queamus.

§. XV.

3. criticam.

Tandem et critica consideranda est diarrhoea, quae quidem, cum materiam iam coctam euacuet, nullo modo laedit ideoque non cohibenda, sed potius sibi relinquenda est, ne salutares naturae

naturae motus perturbentur. Quoniam vero haec ipſa diarrhoea eo tempore accedit, vbi aeger, iam maxime debilitatus, vltimos materiae morbi ſecedentis impetus ſuſtinet, analepticis ſic dictis vires vitae quodam modo ſuſtinendae ſunt. Calidiora quidem aromatica, in primis olea deſtillata, vel ex his compoſita, nec non alia ſpirituoſa volatilia medicamenta eo tempore vix danda ſunt, licet carminatiua eſſe videantur, ne febrim, per euacuationes criticas, vel remittentem, vel per eas imminuendam, iterum intendant, et ita debilitato corpori noceant, ſed blanda tantum analeptica, v. c. tinctura coralliorum et liquor anodinus mineralis HOFFMANNI ad viginti circiter guttas, iterata tamen doſi, exhibeantur. Nec nocet hoc in caſu lenia quaedam diaphoretica, mixturam ſimplicem vel eſſentiam ſcordii, parca doſi immiſcere, ne criſis per ſudores, quae in ſolutionibus morborum frequens eſt, per validam diarrhoeam prorſus ſupprimatur. Et ipſa adhuc durante diarrhoea terrea nobiliora, cum paucis nitri et corticis cuſcarillae granis exhiberi poſſunt, quod nitrum in eo potiſſimum caſu proficuum eſt, vbi aeſtus ſimul vrget, inferius enim oſtenſuri ſumus, nitri ſtimulum in diarrhoeis ipſis nimium reformidari. Quoniam etiam a ſeroſa colluuie in diarrhoeis ſecedente, inteſtinorum canalis nimium debilitatur, euacuationibus, maximam partem ceſſantibus, vel optimae martis tincturae, vel aliquot doſes corticis peruuiani propinandae ſunt, qui quidem cortex, ſi bonae notae deprehenditur, minime adſtrictorius eſt, ſed blanda roborandi vi laxitatem corrigit, et non tantum ratione canalis inteſtinorum effectus ſuos exſerit, ſed omnino etiam in robore, toti corpori conciliando, egregiam vim exſerit. Hanc ob cauſam quoque et pro ratione nutritionis incipientis, rhabarbari parca doſis, cum vel ſine ſale et tandem idem cortex, repetitis doſibus exhibeantur. Quod ſi etiam in diarrhoea critica

tica quaedam ſymptomata moleſta ſint, et illis occurrendum eſt, ſic v. c. in ſpaſmo moderata doſis opiati medicamenti non prorſus improbanda eſt, licet attentum ea et maxime circumſpectum exigat medicum, qui, dum impetus ſymptomatum morboſorum coercet, naturae motus minime turbat, ſed vires vitae ſuſtinet.

§. XVI.

Diarrhoea ſpeciatim conſideratur.

In hac tractatione, circa diarrhoeam, in febribus acutis conſideratam, acquieſcere omnino et teſtimoniis auctorum adducendis ſuperſedere poſſemus, niſi haec generalius propoſita, exemplis quibusdam febrium acutarum adductis, ſpecialius definire, et ſparſim ſententias celeberrimorum practicorum huius ſeculi allegare *) vtile et neceſſarium eſſe crederemus. Ita namque in febri catarrhali benigna, quae a perſpiratione ſuppreſſa ortum trahit, ſaepius quoque diarrhoea oritur. Indoli morboſae, in hoc febre motae, magis conuenire videtur, materiam repreſſam per habitum cutaneum nouo ſudore excitato diſſipare, non ſemper tamen haec expulſio ſuccedit, cum, quicquid intra vaſa corporis receptum fuit, mox in circulum humorum abeat, et plane alia colatoria petat. Non raro enim, ſi cum ſiccitate cutis dolor capitis inſignis, vel oppreſſio pectoris percipitur, poſt grauedinem coryza, et poſt aſthma ſiccum humida et pituitoſa tuſſis ſequitur; quibus excretionibus, inter noſtros tempore autumnali vel vernali ſolennibus, febrium catarrhalium inſultus compeſcuntur et materia ſeroſa ſaepius et ſine inſigni incommodo expellitur, et tunc demum medicum attentum poſcunt, quando ſeroſa colluuies nimium ad nobiliſſimos

1. in febri catarrhali benigna.

*) Veterum et praecedentis potiſſimum ſeculi practicorum hac de re ſententias ſtudioſe collegit FRIDERICVS HOFFMANNVS in Diſſ. de diarrhoea in febribus malignis aliisque acutis morbis ſalutari. Halae. 1700. 4to.

ſimas capitis et pectoris ſedes adducitur. Hoc in caſu non incongruum eſt leni laxante materiam ab iis locis auertere et ad vniuerſalem corporis cloacam dirigere. *) Ex his iam patet diarrhoeam, tunc temporis ortam, non adeo extimeſcendam eſſe et, cum certo ſciamus ſymptomaticam non eſſe, eandem vt ſpontaneam vel criticam aſſumi debere. Et in hoc morbi genere non adeo difficile videtur rem definire, quoniam ingreſſus morbi haud adeo validus eſt, et ſymptomata coniuncta vires vitae non infringunt, vt diarrhoea, corpus debilitans, inde ſit metuenda. Eſt illa ſaepius ſpontanea et primas vias ſimul a ſaburra inhaerente liberat, ideoque et per ſe, ſub regimine apto moderata ſiſtitur, et ipſius morbi catarrhalis progreſſum faciliorem reddit. Quod ſi vero medicus eandem, vt criticam, conſideret **), non adeo errabit, cum quotidiana experientia doceat, in ſanis de reliquo hominibus perſpirationem, caſu ſuppreſſam, diarrhoea ſeroſa accedente, ſine omni periculo ſolui.

§. XVII.

2. in febre ſtomachica.

Catarrhales febres benignas nec non malignas mentiuntur ſtomachicae et inteſtinales, ***) meſentericae aliis dictae.

*) Qualia purgantia eligenda ſint, oſtendit FRIDERICVS HOFFMANNVS in cautelis circa purgantia in febribus catarrhalibus benignis adhibendis. Edit. Opp. Geneuae 1740. fol. Tom. II. ſect. I. Cap. VI. p. 46. §. 4. ſeqq.

**) Diarrhoeam ſolutionibus morbi conſuetis adſcribit Idem l. c. p. 45. §. 19.

***) Sic eas appellat LAVRENTIVS HEISTER in Compendio medicinae practicae Amſtelodami 1743. 8uo mai. p. 83.

ctae. *) Hae quidem, accuratius examinatae, ſymptomaticae febres ſunt, quoniam morbus et cauſa eius proxima in primis viis haerent, ad febrim tamen coniunctam, quae maxime exacerbatur, prae reliquis attendimus. Saburra, in canali alimentorum collecta, non ſemper viſcida et lenteſcens eſt, et tranſitu ad ſecundas vias febres intermittentes gignit, ſed ſaepius bilioſa, rancida et acris, deprehenditur, quae ſimili modo ſanguini commiſcetur et validam febrim excitat, cui, niſi tempeſtiue occurratur, et ſymptomata malignitatis et peſſimae indolis exanthemata ſuccedunt. Conuenit itaque hoc in caſu, vt medicus ex vitiis diaetae praegreſſis, aliisque ſignis, nunc non fuſius enarrandis **) diiudicet, an cauſa morbi in primis viis haereat, et re ita perſpecta ante omnia de lenioribus euacuantibus cogitet. Falluntur quidem medici, qui purgantia copiae materiae, in primis viis mouendae, proportionata, hinc vehementiora et draſtica ſaepius, eligunt, cum natura, motibus ipſis febrilibus excitatis, ad euacuationem aluinam quoque praeſtandam iam nitatur, ideoque lenioribus ſalinis et rhabarbarinis tantum iuuandus, vel clyſmatibus, quae craſſa eluunt, eo diſponendus ſit motus periſtalticus. Haec cautela, cum in ſanis de reliquo hominibus, quorum inteſtina ſaburra ſcatent, iam obſeruanda ſit, multo magis in iis attentionem meretur, in quibus febris concitata totum corpus in ſtimulos ſuſcipiendos ſenſile reddit.

*) vid. CHRISTIANI MARTINI BVRCHARDI Diſſ. de Febribus meſentericis acutis. Roſtochii 1747. 4to.

**) vid. THOMAE GLASS Commentarii duodecim de febribus etc. Amſtelodami. 1743. 8. Comment. VII. p. 96. vbi ſigna adducuntur, ex quibus ſaburra in primis viis collecta, in febribus, ab ipſa quoque concitatis, cognoſcitur.

dit. *) Quod vero de ſaburra, per lenia laxantia mouenda, iam diximus, omnino etiam de illa per diarrhoeam ſpontaneam mota, valet, quae lenioribus mannatis, tamarindinatis et praecipue rhabarbarinis medicamentis pro differentia aegrorum et cauſae adiuuanda eſt, et in febribus biliofis, his analogis, rhabarbarum cum cremore tartari optimam medicinam exhibent. Quot febres vidimus, hac medendi methodo breui coercitas, quae, ſi ſibi relinquerentur, aut diarrhoea, in iis orta, intempeſtiue ſupprimeretur, vel peſſimas febres exanthematicas vel mortem ipſam inducerent. Experientia quotidiana adeo nos certos reddidit, vt lenia haec laxantia in principio febrium continuarum intrepide exhibeamus, cum ſatis didicerimus, quam facile ex cauſis noſtrae diaetae ſaburra in primis viis colligatur, ita, vt diarrhoea, vel per ſe, vel leni medicamento mota, parum damni afferat.

§. XVIII.

3. in febre catarrhali maligna.

Magis vero dubia videtur res, ſi catarrhalibus iisque malignis, epidemice graſſantibus, petechizantibus vulgo dictis, diarrhoea ſuperueniat. In his, ſi primae viae a ſaburra liberae ſunt, aluus ſine incommodo dura optima eſt, nec aliqualis alui obſtructio nocet, medicus tamen eo ſemper reſpiciat, vt primarum viarum conditionem cognoſcat, et, ſi in his aliquid haeret, omnino ſibi perſuaſum habeat, aluum lubricam et fluxam meliorem eſſe quam obſtructam. **)

 Quando

*) vid. IOHANN HVXHAM in Obſ. de aere et morbis epidemicis Vol. II. Londini 1752. 8. mai. pag. 46. 49. 52. 53. Eiusdem Eſſay on Fevers and their Various Kinds. Londini 1750. 8. mai. p. 111. ad 114.

**) vid. FR. HOFFMANN. Opp. Tom. II. Sect. I. Cap. X. de febre maligna petechizante epidemica anni 1698. p. 80.

Quando vero in ipſo morbi ingreſſu aluus libera reddita non fuit, ſaepius diarrhoea tunc temporis oritur, quando peſſima cruditatis ſigna obſeruantur, quando coctio vel nondum, vel parum inchoata eſt, quando ſolutio morbi critica nondum expectari poteſt. Cum itaque in omnibus his morbi temporibus critica diarrhoea aſſumi nequeat, aut ſpontaneam, aut ſymptomaticam eſſe agnoſcimus. Saepius enim ſpontaneam eſſe ex eo intelligimus, quod coctionis vires materiam morbi nondum euoluere potuerint, ſed id tantum, quod in primis viis praeſto eſt, moueri. Licet igitur et haec diarrhoea circumſpecte tractanda ſit, attamen non mox vt ſymptomatica, vel vt perturbatio critica ipſa conſideranda et cohibenda eſt, inprimis, ſi vires vitae parum vel nihil deiiciuntur. Huc omnino quadrant, quae Cl. STAHLIVS *) de vſu nitri in diarrhoeis exponit, licet enim de *petechialibus febribus* loquatur, addit tamen *de modernis minus peſtilentialibus, interim malignitate ſua deleteria non deſtitutis* et paulo infra *in febribus his leuiter exanthematicis.* In his alui ſiccitatem conuenire arbitratus erat **): ſed cum poſtmodum meliora edoctus, peſſima ſymptomata *a tenui eryſipelatode inflammatione viſcerum pendere coniiceret, diarrhoeam vero aliquo vegetiore naturae conatu, ad ſimilem phlogoſin qualitercunque abſtergendam et materiam eius diluendam atque eluendam ſuſcipi interpretaretur, hanc ipſam phlogoſin contactu magis immediato nitri, eodem modo, quo in faucium vitiis ſolemus, oppugnare atque mitigare,* nec ſine ſucceſſu, conſueuit; in remittente enim vel blande progrediente diarrhoea ſecurum ſe

fuiſſe

*) GEORGE ERNST STAHL in Opuſculo chemico-phyſico-medico. Halae 1715. 4. p. 574. ſeqq.

**) Idem in Diſſ. de febre petechiali. Ienae 1685. 4.

fuiſſe monet. *) Hoc eo magis confirmatur, quando perpendimus, et ipſam ſymptomaticam diarrhoeam, quae non ſaburram primarum viarum tantum, ſed humores morboſos, peruerſe motos, euacuat; quae eo tempore, vbi criſis nondum inſtat, vel, vbi illa per ſudores vel alias excretiones perficitur, occurrit; quae vires vitae ſupprimere videtur, nec opiatis nec adſtringentibus vno impetu cohibendam, ſed blandis opiatis leniterque anodynis aliisque remediis ſupra indicatis §. XIV. moderandam eſſe.

§. XIX.

4. in febre purpurata.

In febribus vero his, exanthematibus vix ſtipatis, diarrhoea oborta non adeo dubii euentus eſſe videtur, quam in iis, quibus exanthemata coniuncta ſunt. Purpurae, olim adeo infenſae, nunc blandiori regimine diaphoretico obſeruato, mitiores, nec adeo frequentes, prae reliquis attendi merentur. Et has ipſas ideo mitiores factas fuiſſe credimus, quod in aegris noſtris circa initium morbi, nec alui fluxus**), nec leniora laxantia ***) adeo reformidamus, et, quod ſpeciatim purpuram puerperarum ſpectat, nec in grauidis, nec in puerperis, apta et lenia laxantia negligimus. De purpura mere ſcorbutica, ſine febre oriunda, in qua etiam laxantia ſaepius

 conue-

*) Similia ferme habet GERARDVS VAN SWIETEN in commentariis in aphoriſmos BOERHAAVII Edit. Lugd. Bat. 1745. 4. Tom. II. p. 391. qui et THOMAM SYDENHAM citat in obſeruationibus medicis circa morborum acutorum hiſtoriam et curationes. Sect. III. Cap. III. Edit. Opp. Lugd. Bat. 1741. 8. p. 168.

**) vid. GLASS l. c. p. 126. et HOFFMANN l. c. Cap. XI. de febribus petechialibus veris. §. 4. p. 87.

***) vid. HOFFMANN l. c. Cap. IX. de febre purpurata. Obſ. 4. p. 73.

conueniunt, hic ſermo non eſt; ſed tunc etiam, ſi purpura inter febriles motus, a ſcorbutica humorum indole et regimine nimis calido naſcitur, ſparſimque in cute haeret, diarrhoea oborta medicum non terreat: ſymptomaticam enim eandem eſſe, et eidem diarrhoeam accedere certo patet. Haec vt ſpontanea vix nocet, vt ſymptomatica vero, cum vires ſatis validae ſint, facile ab aegro perferri, vel a medico leni quoque rhabarbarino adiuuari poterit. Et haec ipſa diarrhoea, ſi leuior purpura rubra vt vera criſis conſideratur, nos non confundat, cum haec criſis exanthematica non vera ſit criſis, ſed morbus lyſi potius diſſipetur, atque ita, cum materiae morbi impetus ad varia colatoria tendant, hanc diarrhoeam quoque facile ferat vel leuia purgantia admittat aegrotus. *) Dubius itaque caſus praecipue ille videtur, vbi purpura alba maligna, hoc eſt, puſtulae excretae, materiam malignam atque contagioſam referunt, ſed diarrhoea, tunc temporis oborta, iam ex iis, quae in praecedenti paragrapho diximus, diiudicari poteſt; licet enim illa non exoptanda, ſed ob varias quoque aeris ventilationes, ſub euacuatione alui admiſſas, caute tractanda ſit, tamen ſaepius non adeo malignam eſſe, experientia docuit. **) Vbi tandem purpura alba, maligna, in cute ſe oſtendens, vti in purpura puerperarum, poſt vteri grauem inflammationem oriunda, vel in aliis ſimilibus caſibus, gangraenae et ſphaceli interni indicium ſiſtit, tam triſtis rerum eſt conditio, vt etiam ſine diarrhoea infe-

*) vid. RICHARDI MEAD Monita et praecepta medica. Londini 1751. 8. mai. p. 25. De febre miliari.

**) ANDREAS OTTOMAR GOELICKE in Diſſ. quae obſeruationes aliquot practico clinicas circa febrem veſicularem ſiſtit. Francofurti ad Viadrum 1732. 4to. §. 24. p. 17. aſſerit *nullam inter exanthematicas febres aluum liberam atque ſubinde laxiorem facilius ferre, quam purpuratam et albam quidem, absque retroceſſionis periculo.*

infelicem morbi euentum praeſagire cogamur. Nam quaeſo: poteritne hoc in caſu purpura tanquam critica conſiderari? nonne potius indicium erit malae cauſae, ita, vt ſymptomata malignitatis illam ſubito lethalem pronuncient. Ea igitur, quae paſſim de diarrhoea moderanda diximus, et hic valent, et medicus ſemper cogitet, materiam corruptam, quae quaquauerſum ruit, et ita ad inteſtina quoque defertur, vt plurimum quidem triſtem morbi finem praenunciare, interdum tamen, vt in petechiis ipſis fieri ſolet, *) inexpectatam diarrhoeam felicem morbi ſolutionem efficere.

§. XX.

5. *in febre morbilloſa.*

Dum haec ſcribimus, et de varioloſa febre et diarrhoea ad illam accedente, dicere ſuſcipimus, tanta rerum copia nobis ſe offert, vt ad finem properantes, rem non, vt decet, conficere queamus; haec itaque et alia nunc mittimus, futuris meditationibus reſeruamus, et, dum vela contrahimus, pauca adhuc de morbillis in medium producimus. Huic enim morbo diarrhoeae inter noſtros adeo familiares factae ſunt, vt in auctoribus, qui huius morbi decurſum deſcripſerunt, vix inuenerimus, diarrhoeam adeo frequenter exortam annotari, vel etiam ob proſperum euentum laudari, quam noſtrae nos docuerunt obſeruationes. Sub initium febris motae accedens diarrhoea, eruptionem puſtularum non retardat, ſed potius accelerat, et puſtulae ſub diarrhoea continuata vel exorta perſiſtunt, conſuetas mutationes ſubeunt, et

*) vid. HOFFMANN l. c. cap. XI. p. 87. qui diarrhoeam in initio periculoſam die ſeptimo, nono et vndecimo vt criticam ſolutionem aſſumſit, vid. etiam Acta medica Berolinenſia. Dec. I. Vol. I. de febre petechiali. p. 13.

et ſine incommodo demum euaneſcunt. Tuſſis, frequens morbillorum ſymptoma, ſaepius ſub initio, ſaepius in progreſſu morbi accedens, non promptius compeſcitur, quam per diarrhoeam obortam; cum enim tuſſis illa haud raro ex ventriculi et inteſtinorum ſaburra moueatur, diarrhoea certe eandem ſoluere valet, *) et medicus ipſe, ſi hanc cauſam tusſis agnoſcit, non aliter, quam leuioribus laxantibus eam compeſcere poteſt. Non itaque video, cur quidam practicorum diarrhoeam in febre morbilloſa adeo reformident **), cum crebra nos docuerit experientia, feliciorem morbi progresſum fuiſſe, vbi diarrhoea acceſſit, quam vbi aluus ſicca deprehenſa fuit. Omnem nunc, hactenus propoſitam, tractationem concludendo affirmare non dubitamus, in febribus acutis diarrhoeas accedentes crebrius ſalutares, rarius morboſas euadere.

*) v. HOFFMANN l. c. Cap. VIII. de febre morbilloſa §. 5. p. 64. dicit, diarrhoeam ſaepius morbum ſoluere, cum multae et copioſae ſordes hac ipſa e corpore ſecedant, et obſ. II. §. 65. de alui fluxu, morbillos retrocedentes leuante, agit.

**) PHILIPPVS DE VIOLANTE de variolis et morbillis Dresdae 1750. 4to, de morbillis p. 153. §. 46. 47.